

[ORDO ROMANUS PRIMUS (OR I)]<sup>1</sup>

Incipit ordo ecclesiastici ministerii romanae ecclesiae vel qualiter missa caelebratur.

**1. Primum omnium observandum est septem esse regiones ecclesiastici ordinis urbis Romae et unaquaeque regio singulos habere diacones regionarios.**

**2. Et uniuscuiusque regionis acolyti per manum subdiaconi regionarii diacono regionis suae officii causa subduntur.**

**3. Quorum diaconorum si quando quispiam moritur, donec loco eius alius subrogetur, illius regionis acolyti archidiacono oboediunt, quia omnes acolyti, cuiuscumque regionis sunt, causa ecclesiastici officii ad ministerium eius pertinent.**

**4. Quod etiam de sequentibus ordinibus intelligendum est, servata unicuique post eum proprii gradus archidiaconi in sui ordinis ministerio subditis, ut si quis, verbi gratia, vim passus fuerit sive ab ecclesiastico seu a quacumque militari persona, si a sui ordinis primo eius causa ad effectum minime pervenerit, habeat archidiaconus, id est vicarius pontificis, causam, qualiter subditorum sibi quaerelas absque notitia possit explicare pontificis; caetera vero per minores ordines finiantur.**

**5. Nam primo scire oportet, ut, post numerum ecclesiasticarum regionum, sciat, qui voluerit, numerum dierum per ebdomadem, quo ordine circulariter obsequantur: nam prima feria regio tertia, id est paschae, secunda feria regio quarta, tertia feria regio quinta, feria quarta regio sexta, feria quinta regio septima,**

---

<sup>1</sup> For the edition of OR I, see *Les Ordines Romani du haut moyen âge*. Ed. M. Andrieu. 5 vols. Spicilegium sacrum Lovaniense. Etudes et documents 23 (Louvain, 1931-61), vol. 2, pp. 1-112. In this document, I provide a reconstruction of the text of OR I in the state before it departed Rome around the mid-eighth century. Chapters given in bold were either added to or revised for the second Roman redaction of OR I. I identify OR I:1-6 as having been added to the second edition, and OR I:7, 13, 24-6, 46, and 65 as having been revised.

**feria sexta regio prima, sabbato regio secunda ordines proprios tam in processione quam in ecclesia, vel ubicumque eos propria dies ratione sui gradus prisca statutio ire vel ministrare compulerit, a ministerio pontificis non poterit sine ulla sui deesse excommunicationis vel animadversionis sententia disciplinae.**

**6. Quorum ministeria primitus secundum rationem simplicem dupliciter diebus singulis dividuntur, id est in processione apostolici ad stationem et in egressu sacrarii usque ad missarum consummationem.**

**7. Diebus itaque sollemnibus, id est pascha, primo omnes acolyti regionis tertiae et defensores omnium regionum convenientes diluculo in patriarchio Lateranensi procedunt pontificem pedestres ad stationem.**

8. Stratores autem laici a dextris et a sinistris equi ambulant ne alicubi titubet.

9. Qui autem eum equitantes praecedunt, hii sunt: diacones, primicerius et duo notarii regionarii, defensores regionarii, subdiaconi regionarii. Procedunt vero divisim turmis, spatium inter se et apostolicum facientes.

10. Post equum vero hi sunt qui equitant: vicedominus, vesterarius, nomincolator atque sacellarius.

11. Unus autem ex acolytis stationariis praecedit pedester equum pontificis gestans sanctum chrisma manu in mappula involuta cum ampulla. Sed et omnes acolyti absque sacculis et syndones et chrismate non procedunt, quod disponit stationarius.

12. Si quis autem adire voluerit pontificem, si equitat, statim ut eum viderit, descendit de equo et ex latere viae expectat, usquedum ab eo possit audiri.

**13. Et, petita ab eo benedictione, discutitur a nominculatore vel sacellario causa eius et ipsi indicant pontifici et finiunt; quod etiam observabitur etiamsi absque ulla petitione ei quisquam obuius fuerit.**

14. Qui vero pedester fuerit, tantummodo loco suo figitur, ut ab eo audiatur vel benedicatur.

15. Die autem resurrectionis dominicae, procedente eo ad Sanctam Mariam, notarius regionarius stat in loco qui dicitur Merolanas et, salutato pontifice, dicit:

*In nomine domini nostri Iesu Christi, baptizati sunt hesternae nocte in sancta Dei genetrice Maria infantes masculi numero tanti, feminae tantae.*

Respondit pontifex; *Deo gratias.*

Et accepit a sacellario solido uno; pontifex autem perguit ad stationem.

16. Feria secunda, ad remissa similiter.

17. Feria tertia, in reflexione portici sancti Pauli tantum item qui pedestres absequuntur.

**18. In diem vero sanctum paschae, omnes acolyti regionis tertiae simul et defensores omnium regionum conveniunt primo diluculo in patriarchio Lateranensi, ut, dum processerit pontifex, equum illius praecedant.**

19. Acolyti autem, qui inde fuerint, observant ut portent chrisma ante pontificem et evangelia, sindones et sacculos et aquamanus post eum, sicut supra diximus.

20. Apostolum autem subdiaconus qui lecturus est sub cura sua habebit, evangelium archidiaconus.

21. Aquamanus, patena cottidiana, calicem, sciffos et pugillares et alios aureos et gemelliones argenteos, colatorio argenteo et aureo et alio maiore argenteo, amas

argenteas, cantatorio et caetera vasa aurea et argentea, cereostata aurea et argentea de ecclesia Salvatoris per manum primi mansionarii sumunt et baiuli portant.

22. Diebus vero festis, calicem et patenam maiores et evangelia maiora de vestiario dominico exeunt sub sigillo vesterarii per numerum gemmarum, ut non perdantur.

23. Sellam pontificis cubicularius laicus praecedens deportat, ut parata sit dum in sacrario venerit.

**24. Denuntiata statione diebus festis, primo mane praecedit omnis clerus apostolicum ad ecclesiam, exceptis his qui in obsequio illius comitantur ut supra diximus, et expectantes pontificem in ecclesia cum supplementario et baiulis et reliquis qui cruces portant, sedentes in presbiterio, episcopi quidem ad sinistram intransibus, presbiteri vero in dexteram, ut, quando pontifex sederit, ad eos respiciens, episcopos ad dexteram sui, presbiteros vero ad sinistram contueatur.**

**25. Sed dum venerit pontifex prope ecclesiam, exeuntes acolyti et defensores ex regione illa cuius dies ad officium fuerit in obsequio praestolantur eum in loco statuto, antequam veniat ubi discensurus est.**

**26. Similiter et presbiter tituli vel ecclesiae ubi statio fuerit, una cum maioribus domus ecclesiae romanae, vel pater diaconiae, si tamen illa ecclesia diaconiae fuerit, cum subdito sibi presbitero et mansionario tymiamaterium deferentibus in obsequium illius inclinato capite dum venerit.**

27. Acolytus quidem cum defensoribus primum, deinde presbiter cum suis, petita benedictione, divisus hinc inde partibus, prout militant, praecedunt pontificem usque ad ecclesiam.

28. Advocatores autem ecclesiae stant quidem cum maioribus, non autem praecedunt cum eis, sed ipsi tantummodo sequuntur sellarem pontificis cum acolyto qui aquammanus portat, quem semper necesse est sequi pontificem, usquedum ad altare ascendit, paratus sub humero in presbiterio, quando vocetur a subdiacono regionario ad aquam dandam,

29. Cum vero ecclesiam introierit pontifex, non ascendit continuo ad altare sed prius intrat in secretario, sustentatus a diaconibus, qui eum susceperint de sellario descendentem, ubi, dum intraverit, sedet in sella sua et diaconi, salutato pontifice, egrediuntur secretario et ante fores eiusdem mutant vestimenta sua.

30. Et parat evangelium qui lecturus est; reserato sigillo, ex praecepto archidiaconi, super planetam acolyti, et si necesse fuerit propter maiora evangelia duobus acolytis super planetam tenentibus, parat evangelium.

31. Quo facto, acolytus defert evangelium usque ante altare in presbiterio, precedente eum subdiacono sequente, qui, eum de super planeta illius suscipens, manibus suis honorifice super altare ponat.

32. Nam, egredientibus diaconibus de secretario, remanent cum pontifice primicerius, secundicerius, primicerius defensorum, notarii regionarii, defensores regionarii, subdiaconi et subdiaconus sequens, qui tenet pallium pontificis in brachio suo super planeta in sinistro brachio cum acus.

33. Pontifex autem per manus subdiaconorum regionariorum mutat vestimenta sollemnia hoc ordine: defert ea plicata cubicularius tonsoratus, accepta a manibus ostiarii, iuxta caput scamni, subdiacono regionario.

34. Et tunc ceteri subdiaconi regionarii secundum ordinem suum accipiunt ad induendum pontificem ipsa vestimenta, alius lineam, alius cingulum, alius anagolaium, id est amictum, alius lineam dalmaticam et alius maiorem dalmaticam et alius planetam et sic per ordinem induunt pontificem.

35. Primicerius autem et secundicerius componunt vestimenta eius, ut bene sedeant.

36. Novissime autem quem voluerit domnus pontifex de diaconibus vel subdiaconibus, cui ipse iusserit, sumit de manu subdiaconi sequentis pallium et induit super pontificem et configit eum cum acus in planeta retro et ante et in humero sinistro et salutatur domno, dicit: *Iube, domne, benedicere*. Respondet: *Salvet nos dominus. Amen*.

37. Deinde subdiaconus regionarius, tenens mappulam pontificis in sinistro brachio super planetam revolutam, exiens ad regiam secretarii, dicit: *Scola*. Respondet: *Adsum*. Et ille: *Quis psallit?* Respondet: *Ille et Ille*.

38. Et rediens ad pontificem subdiaconus porrigit ei mappulam, inclinans se ad genua ipsius, dicens: *Servi domini mei talis subdiaconus regionarius legit apostolum et talis de scola cantat*.

39. Et iam non licet alterum mutare in loco lectoris vel cantoris. Quod si factum fuerit, archiparafonista a pontifice excommunicabitur, id est quartus scholae, qui semper pontifici nuntiat de cantoribus.

40. Qui dum nuntiatum fuerit, statim sequitur quartus scholae subdiaconus, adstans ante faciem pontificis, usquedum ei annuat pontifex ut psallant; cui dum annuerit, statim egreditur ante fores secretarii et dicit: *Accendite*.

41. Qui dum incenderint, statim subdiaconus sequens, tenens tymiamaterium aureum, pro foribus ponit incensum, ut pergat ante pontificem.

42. Et ille quartus scolae pervenit in presbiterio ad priorem scolae, vel secundum sive tertium, inclinato capite, dicit: *Domne, iubete.*

43. Tunc illi, elevantes per ordinem, vadunt ante altare; statuuntur per ordinem acies duae tantum iuxta ordinem, parafonistae quidem hinc inde a foris, infantes ab utroque latere infra per ordinem.

44. Et mox incipit prior scolae antiphonam ad introitum, quorum vocem diaconi dum audierint, continuo intrant ad pontificem in secretarium.

45. Et tunc pontifex elevans se dat manum dexteram archidiacono et sinistram secundo, vel qui fuerit in ordine; et illi, osculatis manibus ipsius, procedunt cum ipso sustentantes eum.

**46. Tunc subdiaconus sequens cum tymiamaterio praecedit ante ipsum, mittens incensum, et septem acolyti illius regionis cuius dies fuerit, portantes septem cereostata accensa praecedunt ante pontificem usque ante altare.**

47. Sed, priusquam veniant ante altare, diacones in presbyterio exuuntur planetis et suscipit eas subdiaconus regionarius et porrigit illas ad acolytos regionis cuius fuerint diaconi.

48. Et tunc duo acolyti, tenentes capsas cum Sancta apertas, et subdiaconus sequens cum ipsis tenens manum suam in ore capsae ostendit Sancta pontifici vel diacono qui processerit. Tunc, inclinato capite, pontifex vel diaconus salutat Sancta et contemplatur ut, si fuerit superabundans, praecipiat ut ponatur in conditorio.

49. Tunc peraccedens, antequam veniat ad scolam, dividuntur cereostata, quattuor ad dexteram et tres ad sinistram et pertransit pontifex in caput scolae et inclinatur caput ad altare, surgens et orans et faciens crucem in fronte sua, et dat pacem uni episcopo de ebdomadariis et archipresbitero et diaconibus omnibus.

50. Et respiciens ad priorem scolae annuit ei ut dicat *Gloriam*; et prior scolae inclinatur se pontifici et inponit. Quartus vero scolae praecedit ante pontificem, ut ponat oratorium ante altare; et accedens pontifex orat super ipsum usque ad repetitionem versus.

51. Nam diaconi surgunt quando dicit: *Sicut erat*, ut salutent altaris latera, prius duo et duo vicissim redeuntes ad pontificem. Et surgens pontifex osculatur evangelia et altare et accedit ad sedem et stat versus ad orientem.

52. Scola vero, finita antiphona, inponit *Kyrielesion*. Prior vero scolae custodit ad pontificem, ut ei annuat quando vult mutare numerum laetaniae et inclinatur se pontifici.

53. Quam dum finierint, incipit pontifex *Gloria in excelsis Deo*, si tempus fuerit, et non sedit antequam dicant, post orationem primam, *Amen*.

55. Et tunc ascendunt subdiaconi regionarii ad altare, statuentes se ad dexteram sive sinistram altaris.

56. Subdiaconus vero qui lecturus est, mox ut viderit post pontificem episcopos vel presbiteros resedentes, ascendit in ambonem et legit.

57. Postquam legerit, cantor cum cantatorio ascendit et dicit responsum. Si fuerit tempus ut dicat *Alleluia*, bene; sin autem, tractum; sin minus, tantummodo responsum.

59. Deinde diaconus osculans pedes pontificis et tacite dicit ei pontifex: *Dominus sit in corde tuo et in labiis tuis*. Deinde venit ante altare et, osculatur evangelia,

levat in manus suas codicem et procedunt ante ipsum duo subdiaconi regionarii levantes tymiamaterium de manu subdiaconi sequentis, mittentes incensum, et ante se habentes duos acolytos portantes duo cereostata; venientes ad ambonem dividuntur ipsi acolyti ante ambonem et transeunt subdiaconi et diaconus cum evangelia per medium eorum.

61. Ille qui absque tymiamaterio est, vertens se ad diaconem porrigit ei brachium suum sinistrum, in quo ponit evangelium, ut manu subdiaconi aperiatur ei locus in quo signum lectionis positum fuerit.

62. Et, interposito digito suo, diaconus in loco lectionis ascendit ad legendum et illi duo subdiaconi redeunt stare ante gradum discensionis ambonis.

63. Finito evangelio, dicit pontifex: *Pax tibi. Dominus vobiscum. Et cum spiritu tuo.*

64. Descendente autem diacono, subdiaconus qui prius aperuerat, recipit evangelium et porrigit eum subdiacono sequenti, qui in filo stat; quod tenens ante pectus suum super planetam porrigit osculandum omnibus per ordinem graduum qui steterint,

**65. et post hoc praeparato acolyto in poio iuxta ambonem cum capsula in qua subdiaconus idem ponit evangelium ut sigilletur. Acolytus autem regionis eiusdem cuius et subdiaconus est revocat evangelium ad Lateranum.**

67. Deinde, pergente diacono ad altare, stante acolyto cum calice et corpore super eum, levat calicem in brachio sinistro et porrigit diacono corporealem, ut accipiat de super calicem, et ponit eum super altare a dextris, proiecto capite altero ad diaconem secundum ut expandant.

68. Tunc ascendunt ad sedem primicerius et secundicerius et primicerius defensorum, cum omnibus regionariis et notariis; subdiaconus vero cum calice vacuo sequitur archidiacono.

69. Pontifex autem descendit ad senatorium, tenente manum eius dexteram primicerio notariorum et primicerio defensorum sinistram, et suscipit oblationes principum per ordinem archium.

70. Archidiaconus post eum suscipit amulas et refundit in calice maiore, tenente eum subdiacono regionario, quem sequitur cum sciffo super planetam acolytus, in quo calix impletus refunditur.

71. Oblationes a pontifice suscipit subdiaconus regionarius et porrigit subdiacono sequenti et subdiaconus sequens ponit in sindone quam tenent duo acolyti.

72. Reliquas oblationes post pontificem suscipit episcopus ebdomadarius, ut ipse manu sua mittat eas in sindone qui eum sequitur.

73. Post quem diaconus, qui sequitur post archidiaconem, suscipit [calicem] et manu sua refundit in sciffum.

74. Pontifex vero, antequam transeat in partem mulierum, descendit ante confessionem et suscipit oblatas primicerii et secundicerii et primicerii defensorum; nam in diebus festis post diacones ad altare offerunt.

75. Similiter ascendens pontifex in parte feminarum ordine quo supra omnia explet.

76. Tunc, tenentibus primicerio et secundicerio manus eius, redit in sedem.

77. Archidiaconus stans ante altare, expleta susceptione, lavat manus suas; deinde respicit in faciem pontificis, annuit ei et ille resalutato accedit ad altare.

78. Tunc subdiaconi regionarii, levantes oblatas de manu subdiaconi sequentis super brachia sua, porrigunt archidiacono et ille componit altare; nam subdiaconi hinc inde porrigunt.

79. Ornato vero altare, tunc archidiaconus sumit amulam pontificis de subdiacono oblationario et refundit super colum in calicem, deinde diaconorum et in die festo primercii, secundicerii, primicerii defensorum.

80. Deinde descendit subdiaconus sequens in scola, accipit fontem de manu archiparafonistae et defert archidiacono et ille infundit, faciens crucem, in calicem.

81. Tunc ascendunt diaconi ad pontificem; quos videntes primicerius, secundicerius et primicerius defensorum regionariorum et notarii regionarii et defensores regionarii descendunt de aciebus, ut stent in loco suo.

82. Tunc surgit pontifex a sede, descendit ad altare et salutatur altare et suscipit oblatas de manu presbiteri ebdomadarii et diaconorum.

83. Deinde archidiaconus suscipit oblatas pontificis de oblationario et dat pontifici.

84. Quas dum posuerit pontifex in altare, levat archidiaconus calicem de manu subdiaconi regionarii et ponit eum super altare iuxta oblatam pontificis ad dextris, involutis ansis cum offertorio, quem ponit in cornu altaris, et stat post pontificem.

85. Et pontifex, inclinans se paululum ad altare, respicit scolam et annuit ut sileant.

86. Tunc, finito offertorio, episcopi sunt stantes post pontificem, primus in medio, deinde per ordinem, et archidiaconus a dextris episcoporum, secundus diaconus a sinistris et ceteri per ordinem disposita acie.

87. Et subdiaconi regionarii, finito offertorio, vadunt retro altare, aspicientes ad pontificem, stantes erecti usquedum incipiant dicere hymnum angelicum, id est *Sanctus, Sanctus, Sanctus*.

88. Quem dum expleverint, surgit pontifex solus et intrat in canonem; episcopi vero, diaconi, subdiaconi et presbiteri in presbiterio permanent inclinati.

89. Et dum dixerit: *Nobis quoque peccatoribus*, surgunt subdiaconi; cum dixerit: *Per quem haec omnia, domine*, surgit archidiaconus solus; cum dixerit: *Per ipsum et cum ipso*, levat cum offertorio calicem per ansas et tenet exaltans illum iuxta pontificem.

90. Pontifex autem tangit a latere calicem cum oblatis, dicens: *Per ipsum et cum ipso*, usque: *Per omnia saecula saeculorum*, et ponit oblationes in loco suo et archidiaconus calicem iuxta eas, dimisso offerturio in ansas eiusdem.

91. Nam quod intermisimus de patena, quando inchoat canonem, venit acolytus sub humero habens sindonem in collo ligatum, tenens patenam ante pectus suum in parte dextera usque medium canonem.

92. Tunc subdiaconus sequens suscipit eam super planetam et venit ante altare, expectans quando eam suscipiat subdiaconus regionarius.

93. Finito vero canone, subdiaconus regionarius stat cum patena post archidiaconem.

94. Quando dixerit: *et ab omni perturbatione securi*, vertit se archidiaconus et osculatam patenam dat eam tenendam diacono secundo.

95. Cum dixerit: *Pax domini sit semper vobiscum*, mittit in calicem de Sancta.

96. Sed archidiaconus pacem dat episcopo priori, deinde caeteri per ordinem et populus.

97. Tunc pontifex rumpit oblatam ex latere dextro et particulam quam ruperit partem super altare relinquit; reliquas vero oblationes suas ponit in patenam quam tenet diaconus.

98. Et redit ad sedem. Mox primicerius et secundicerius et primericerius defensorum cum omnibus regionariis et notariis ascendunt ad altare et stant ad dextris et sinistris.

99. Nomincolator vero et sacellarius et notarius vicedomini, cum dixerint *Agnus Dei*, tunc ascendunt ad stare ante faciem pontificis, ut annuat eis scribere nomina eorum qui invitandi sunt sive ad mensam pontificis per nomincolatorem, sive ad vicemdomini per notarium ipsius; quorum nomina ut compleverint, descendunt ad invitandum.

100. Nam archidiaconus levat calicem et dat eum subdiacono regionario et tenet iuxta cornu altaris dextrum.

101. Et accedentes subdiaconi sequentes cum acolytis qui saccula portant a dextris et a sinistris altaris, extendentibus acolytis brachia cum sacculis, stant subdiaconi sequentes a fronte ut parent sinus sacculorum archidiacono ad ponendas oblationes, prius a dextris, deinde a sinistris.

102. Tunc acolyti vadunt dextra levaque per episcopos circum altare; reliqui descendunt ad presbiteros, ut confrangant hostias.

103. Patena praecedit iuxta sedem, deferentibus eam duobus subdiaconibus regionariis diaconibus ut frangant.

104. Sed illi aspiciunt ad faciem pontificis, ut eis annuat frangere; et dum annuerit, resalutato pontifice, confringunt.

105. Et archidiaconus, evacuato altare oblationibus, respicit in scolam et annuit eis ut dicant *Agnus Dei* et vadit ad patenam cum ceteris.

106. Expleta confractione, diaconus minor, levata de subdiacono patena, defert ad sedem, ut communicet pontifex.

107. Qui, dum communicaverit, de ipsa Sancta quam momorderat ponit in calice in manus archidiaconi dicendo: *Fiat commixtio et consecratio corporis et sanguinis domini nostri Iesu Christi accipientibus nobis in vitam aeternam. Amen.*

*Pax tecum. Et cum spiritu tuo.*

Et ita confirmatur ab archidiacono.

108. Deinde venit archidiaconus cum calice ad cornu altaris et adnuntiat stationem et refuso parum de calice in sciffo inter manus acolyti, accedunt primum episcopi ad sedem, ut communicent de manu pontificis secundum ordinem.

109. Sed et presbiteri omnes ascendunt ut communicent ad altare.

110. Episcopus autem primus accipit calicem de manu archidiaconi et stat in cornu altaris sequentis ordinis usque ad primicerium defensorum.

111. Deinde archidiaconus, accepto de manu illius calice, refundit in sciffum quem supra diximus et tradit calicem subdiacono regionario, qui tradit ei pugillarem cum quo confirmat populum.

112. Calicem autem accipit subdiaconus sequens, dat acolyto, quem ille revocat in paratorium.

113. Qui dum confirmaverit, id est quos papa communicat, descendit pontifex a sede, cum primercio notariorum et primicerio defensorum tenentibus ei manus, ut communicet eos qui in senatorio sunt, post quem archidiaconus confirmat.

114. Post archidiaconem episcopi communicant populum, annuente eis primicerio cum manu sub planeta percontato pontifici; post eos diaconi confirmant.

115. Deinde traseunt in parte sinistra et faciunt similiter.

116. Presbiteri autem, annuente primicerio, iussu pontificis communicant populum et ipsi vicissim confirmant.

117. Nam, mox ut pontifex coeperit in senatorio communicare, statim scola incipit antiphonam ad communionem et psallunt usquedum communicato omni populo, annuat pontifex ut dicant *Gloria patri*; et tunc repetitio versu quiescunt.

118. Nam pontifex, mox ut communicaverit in partes mulierum, redit in sedem.

Et<sup>2</sup> communicat regionarios per ordinem et eos qui in filo steterant et in diebus festis de scola duodecim. Nam, ceteris diebus, in presbiterio ubi potuerint communicent.

119. Post omnes hos redeuntes nominolator et sacellarius et acolytus qui patenam tenet et qui manustergium tenet et qui aquam dat ad sedem communicant.

120. Post pontificem archidiaconus eos confirmat.

121. Adstat autem subdiaconus regionarius ante faciem pontificis, ut annuat ei. Ille vero contemplans populum si iam communicati sunt et annuit ei.

122. Et ille vadit ad humerum, aspicit ad primum scolae, faciens crucem in fronte sua, annuit ei dicere *Gloriam*; et ille, resalutato, dicit *Gloria, Sicut, erat, et versum*.

123. Finita autem antiphona, surgit pontifex cum archidiacono et veniens ad altare dat orationem ad complendum.

---

<sup>2</sup> I punctuate this chapter somewhat differently from Michel Andrieu (*Les Ordines Romani*, vol. 2, p. 105). The first part of this chapter reports what the pope does after he has given communion to those in the *pars mulierum*, and the action picks us again in OR I:121. The second part starts to report the full list of the ministers to whom the pope gives communion, although the pope has already finished distributing communion in OR I:113. I thus have placed a period after the word *sedem*, and created a new sentence starting with “Et communicat...”

124. Qua finita, cui praeceperit archidiaconus de diaconibus aspicit ad pontificem, ut ei annuit, et dicit ad populum: *Ite missa est.* Resp.: *Deo gratias.*

125. Tunc septem cereostata praecedunt pontificem et subdiaconus regionarius cum turibulo ad secretarium.

126. Discendente autem illo in presbiterio, episcopi primum dicunt: *Iube, domne, benedicere.* Respondit: *Benedicat nos dominus.* Respondunt: *Amen;* post episcopos presbiteri, deinde monachi, deinde scola, deinde milites draconarii, id est qui signa portant; post eos baiuli; post eos cereostatarii; post quos acolyti qui rugam observant; post eos extra presbiterium cruces portantes, deinde mansionarii iuniores; et intrant in secretarium.